

in superioribus illis. Atque etiamsi in hoc genere non possis ea fiducia, qua in superiori, versari: tamen, etiam probabilitatem in rebus huiusmodi sequendam, recte statuunt Philosophi. Qui enim nihil agere vellet, nisi, quod certo sciret, esse legi naturae consentaneum, is profecto saepe omnino non posset agere: cum maxima vitae humanae pars probabilitati subiecta sit. Denique est etiam quod- dam agendi genus, in quo nullam magnopere of- ficii speciem videoas, quodque parum, aut nihil probabilitatis habet, neque tamen possis id contra- rium officio certa quadam, aut probabili saltem ratione, ostendere, aut, de quo certe in utramque partem cum probabilitate aliqua disputari potest: quae res facit, ut non possis, sine insigni errandi periculo et timore, in alterutram partem aliquid statuere.

55. Hic vero magna est inter Philosophos con- tentio, quam vim habeat iudicium actionis falsum ad obligationem. Nam, cum ratio iubeat, honesta et bona sequi, turpia et mala auersari: effici, aiunt, ut, qui, quod falso putet honestum et bonum esse, non faciat, aut, quod falso iudicet turpe et malum, tamen faciat, rationem siue conscientiam lae- dat, eique minime obtemperet, adeoque, quia, quantum in ipso sit, legem natura migret, aequa peccet, ac si in iudicando minime errasset. Neque tamen eam ob causam factum ipsum probari posse, dicunt, sed, quia per se legi aduersetur, culpam in- ducere, et poena dignum esse. Quod quidem utrumque, quomodo reprehendi possit, minime videmus. Neque tamen omnem illam disputatio- nem,